

III, 50.

250.

III, 50.



Contenta.

- 1.) Joh: Casp: vom Kay: privilegij: funebri: Johanni Principi Anhalti,
no dictus.
- 2.) Umständlicher Anzeig und Beschreibung wie es bey der am 8. Febr: 1681.
beygehauenen Abführung Sr. Daphin Augustin von Wittibten Fürstin
von Anhalt, von Leipzig nach Juelz gehalten worden, welche
von verschiednen Gmüthlichkeitspunten, darunter, Epiced: pp 8 fig:
3.) Joh: Laur. Womatho Conc: fun: Johann Georg II. Fürst zu Anhalt
Für Brandenburg. General Feld Marschall.



PANEGYRICUS
FUNEBRIS

DIVO

JOHANNI,
ANHALTINORUM
PRINCIPI, COMITI ASCANIÆ,
DOMINO SERVESTÆ, BERENBURGI,
JEVERÆ ET KNIPHUSII,
ETC. ETC. ETC.

HEROI INCOMPARABILI
DICTUS

WITTENBERGÆ
IN TEMPLO ARCIS
VI. KL. NOV.

A. S.

clō. Iōc. LXVII.

à

JOHANNÉ CASPARE vom Loss/
EQV. MISN.



In Officinâ FINCELIANA excudebat MICHAEL MEYER:

a.

PAULUS
DIE
JOHANNI
DANIELI
PRINCIPALIS
DOMINUS
HEROIS
DICTUS




JOHANNES CASPARE



In Officina PUNICKAVIANA excudebat MICHAEL MEYER





SERENISSIMÆ PRINCIPIS
AC DOMINÆ,

DOMINÆ SOPHIÆ AUGUSTÆ,
NATÆ PRINCIPIS SCHLESVICI,
HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITMAR-
SIÆ, COMITI IN OLDENBURG
ET DELMENHORST,
ETC. ETC. ETC.

VIDUÆ, AC TUTRICI;

A ij

NEC



NEC NON
SERENISSIMIS PRINCIPIBUS
AC DOMINIS,

DOMINO CAROLO GVILIELMO,
DOMINO ANTHONIO GUNTHERO,
DOMINO JOHANNI ADOLPHO,
DOMINO JOHANNI LUDOVICO,

PRINCIPIBUS JUVENTUTIS,
PATERNARUM VIRTUTUM
FELICISSIME ÆMULATORIBUS
FILIIS

JOHANN CASPAR vom Loß/

IMMORTALI EORUM GLO-
RIÆ DEVOTISSIMUS,

D. D. C.



RECTOR
ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS,
CONRADUS VICTOR SCHNEIDER,
 BETTERFELDA SAXO, PHILOSPH. ET
 MED. DOCT. PROF. PUBL. ET FACULT. ME-
 DICÆ SENIOR,
 CIVIBUS ACADEMICIS S. P. D.



Væ illustrissimam domum ANHALTINAM inter summa maximorum Imperii hujus sacrosancti Principum vehere nomina possunt, non unâ equevidem occurrunt. Tot namq; illa stabilitas Augustissimorum Cæsarum, Regumq; ac Electorum, aut sangvine, aut affinitate prærogativas orbi universo, ab ultimis inde originibus suis exhibuit, ut & ornare seculum hoc præsens, & obstupescere futura (si quæ speranda sunt) videatur. Quotum-enimquemq; clam est, (ne ad antiquissimos, per longè retrò tempora Heroas, BERINGEOS nempe istos atque ARIBONES commigremus) ex unâ Serenissimâ ANHALTINORUM stirpe, tot admiranda, pace simul ac bello surrexisse columina, quot in veterum annalibus genus aliud vix numeret? Exemplis sanè haud vulgaribus Scriptorum florentissimus accenset, quòd à Trojano Ænea filioq; ejus *Ascanio Julo*, bis septimâ sobole regnârit patruus Romuli Amulius. Fuit hic *Ascanius*, qui rudis Lavinii contemtor, conditorq; ut Poëta ait, *Albai Longai*, tot Reges Latio, quot Silvios, teste Livio, reliquit. Non sic omnem injuriosa dies ASCANIORUM memoriam delevit, quin à FRIDERICO I. imperatore, exauctoratis in Bavariâ Saxoniâq; VVelphonibus, tunc Anhaltini Ascaniæq; Comites, Saxoniæ creati Duces flore illibato diutissimè perstiterint. Longum relatu fortè foret, si cum præstantissimo superioris ævi-

O,
 O,
 O,
 M

Historicorum *Lazio* ad *Ascanium Hebræorum*, quem illi
Aschenazem nominant, relaberemur hîc. Vivit in monu-
mentis adhuc, versatur in ore omnium **BERNHARDUS**,
qui primus **ANHALTINÆ** domui, parem cum Regi-
bus eminentiam fertur intulisse. Ex hoc tempore quot
Imperio Electores, quot *Saxonix* Duces, quot orbi deniq;
miracula **ASCANII** dederunt? Veneratur adhuc sedes
Electorum vetustissima hæc *VVitteberga*, ut suos olim *Alba*
longa, **ASCANIOS**. Et ut hæc singula mittamus, o-
mnium unus aut æqvavit laudes, aut supregressus est, **Divus**
JOHANNES, pietate ac heroicis planè virtutibus incom-
parabilis Princeps. In quo divinæ nullius non generis do-
tes, quæ viritim per alios se exerunt, unà omnes moraban-
tur. Jactaverit proinde suos *Græcia* *Agamemnones* ma-
gnanimos, piissimos *Æneas*; solius eam æterni damnare si-
lentii exemplum Illustrissimi **JOHANNIS** potest. Quod
uti disertissimâ politâq; complexus oratione, ad nutum qui-
dem ac beneplacitum Celsissimæ Principis ac Dominæ,
Dominæ **SOPHIÆ AUGUSTÆ**, **ANHALTINÆ**,
DUCIS HOLSA TIÆ, fuit generosâ Nobilitate Juve-
nis **JOHANNES CASPAR vom Losß** / Eqves Misni-
cus; sic suæ erga Principem optimum pietatis interesse ra-
tus, quem de Laudibus tanti Herois nuper Panegyricum
conscripsit, impetratâ à Nobis, propter singulares quidem
causas, veniâ, ad horam II. deinceps, in Templo Cathedrali,
coram splendidissimis Auditoribus recitabit publicè. Me-
retur omnem ex se laudem egregius conatus hic; & tantò
quidem consummatior videtur, quantò propior religioni
labor est, transmittere ad posteritatem, quæ intermori nun-
quam excellentissimæ virtutes Principum debent. Vos,
CIVES ACADEMICI, adeste postea frequentes, & ex-
citata nobilissimi declamatoris indolem plausu ac favore
vestro ad sublimiora provocate. Quod ut præstetis faci-
les, rogamus juxta & magnoperè censemus. P. P. Domi-
nicâ XXI. post **TRINIT.** Anno recuperatæ
gratiæ cl. lcc. **LXVII.**

RE.



RECTOR MAGNIFICE,

VIRI ILLUSTRES, GENEROSISSIMI
AC PERQVAM STRENUI, NEC NON REVE-
RENDI MAXIME, NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI,
EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
CLARISSIMI; TUQVE IN SPEM GERENDÆ REIPUBLI-
CÆ CURARUMQVE INGENTIUM SEPOSITA GENE-
ROSA, NOBILISSIMA ET ORNATISSIMA
JUVENTUS.



Um de Divo
JOHANN E, Serenis-
simo Anhaltinorum Princi-
pe, qvi qvarto mense antè rebus huma-
nis exemptus est, verba facere instituo, tot
tantaq; dicendi ad manum se dant argu-
menta, ut multum præstitisse videar, si
non in limine statim obmutescam. Ja-
cent in dolore maxima & præstantissima
etiam ingenia, & arduum ac per difficile
nimis est, in luctu ingenti simul & pietatis
& eloquentiæ, quæ expectari tamen à
nobis nulla potest, mereri laudem. Nam
& an miserari prius tristissimum casum,
an in virtutes, quibus fuit Optimus Prin-
A iiij ceps,

ceps, excellentissimas excurrere, an de-
niq; causas suscepti muneris præmittere,
an dicendi infantiam Vobis, Auditores,
excusare potiùs præstet, non satis mecum
statuere habeo. Vincit tamen, quem
sanctè veneror, Serenissimæ VIDUÆ
nutus, cujus auspicio ductus in hocce con-
stiti gradu. Ut enim Illa pietatem suam
intemeratam in desideratissimum Con-
jugem palàm approbaret, & testaretur
abundè, hanc, quâ nunc defungor, pro-
vinciam decerni mihi clementissimè vo-
luit. Nimirum cùm Ipse Princeps Maxi-
mus vivus eximiâ usquequaqve gratiâ
complexus literas sit, defuncto jam æter-
nus parq; Virtutibus Eiusdem locus inter
Heroes ab istis meritò constituitur. Pa-
rum enim in hominum memoriâ est, si
eam non vetet consensescere scribentium
fides. Hoc Orientis domitor Alexander,
hoc Cæsar, hoc veterum Regum Princi-
pumqve nobilissimi sensere illicò; nec
aliam speraverunt triumphis suis rebusq;
præclarè gestis fortem, quàm quæ ex eru-
ditorum favore contigisset. Quas par-
tes

tes jure suo hoc literarum & sapientiae
emporium sibi vindicat. Præterquam
enim, quod cujusdam necessitudinis jura
intercedant finitimis & fortunarum com-
munio quædam, Serenissimæ domus,
SAXONICA & ANHALTINA
sanctissimis vinculis connexæ invicem
& obligatæ jamdiu perstitere. Quanti
verò hanc Academiam Majores nostri
Principis inclitissimi æstimaverint, cura-
verint & protexerint principaliter, prisci
canunt annales. Nam & hoc augustissi-
mum templum à **RUDOLPHO AN-**
HALTINO, invictò Saxoniae Electore,
fundatum novimus, & eâ, quâ par est, re-
verentiâ recolimus. Quod ipsum, quam-
vis planctu lamentisq; triste ac horridum,
gestire tamen quasi ac exultare simul, dif-
fidentium affectuum pugna, videtur,
quod suorum olim Nutritiorum & fan-
ctæ Ipsorum propaginis laudibus reso-
nare sibi detur. Sed & **TE, RECTOR**
MAGNIFICE, atrato habitu, Vosq;
Patres Academiae venerandi, moestos ac-
cessisse video, in præsentissimum & lu-
ctus

ctus & venerationis documentum. Quod
si enim nobis colendi semper sunt Prin-
cipes superstites haud tantum, sed cum
deceserint etiam, qui in summo Virtu-
tum culmine eminuere praecclareq; de re
Christianâ meriti sunt; dignus profecto,
si quisquam alius, erit Serenissimus Prin-
ceps noster, cui omnis reverentia, ut vi-
denti spirantiqve olim praestita fuit, ita
nunc statione mortali digresso, cumula-
tissimè, quàm fieri potest, exhibeatur.
Quæ incredibilis enim Virtus in eò omni-
qve Ejus vitæ actu exsplendescibat?
Quod religionis indefesum studium?
Quanta judicii vis & libratisima ratio?
Quæ capere saltem cum detur paucis,
quò difficilius erit dicto dignè exprime-
re? Atq; eadem dum expendo mecum
paullo intentius & de iis aliquid dicere
paro, juvenis ipse nec à facundiâ valens,
vix jam ingressus statim sentio, quid in
me oneris susceperim. Et quoniam cum
conscientiâ me pudor subit, quid mirum
adeò, si & tremere artus incipiant, & fau-
cibus hæere vox, ac totum deniqve cor-
pus

pus quòdam horrore perfundatur.. E-
nimverò sicut spectato eruditionis ac
doctrinæ exquisitissimæ opinione Ma-
gnorum præsentia adspirat fiduciam ac
animum auget; sic inhabilem me dejicit
planè ipsamque adeò linguam quodam
quasi vinculo constringit ac ligat. Quam
nec expediverim facilè, nisi me solaretur
obsequii, quo omnes Illustrissimæ AN-
HALTINÆ domui devincti certatim
auscultant, religio, ac quasdam quasi
subderet faces, quinimò vocem ipsam,
quod revera experior, extorqueret.
Solvam igitur nuncupata verborum vo-
ta, & Serenissimi ANHALTINO-
RUM Principis, JOHANNIS, vi-
tam, virtutes ac facta egregia exequi ag-
grediar. Vos vero, Auditores, favebi-
tis, ut sub vestro auspicio imperterritus
verba faciam. Vos veniam dabitis be-
nignè minus dignè de Maximo Princi-
pum dicturo. Pietatem, quæso, meam
attendite, non inconsideratum impe-
tum; cùm vix ejusmodi vis movere ac
rapere animum soleat, quin simul ex te-
mera-

merario aliq̄ vid trahat. Vos mihi silen-
tium facere videmini, cum nemo sit tam
focors, tam infrunitus plané, q̄vin ad Ma-
ximorum Principum mentionem reli-
gione ductus sponte benignam dicenti
dare operam contendat. Quam q̄vi-
dem à Vobis, **RECTOR MAGNI-
FICE**, coeteriq̄; Auditores omnium or-
dinum honoratissimi, vel ejus unius cau-
sâ, de q̄vô orandum, mihi promitto, re-
verenter, quantum in me est, eandem i-
psam precatus.

Qui in pulcherrimorum siderum con-
templatione hærent defixi, eorumq̄;
indolem ac operationes pensius excute-
re satagunt, ortum ante omnia rimari at-
tenté consueverunt. Atq; ego perinde,
dum de Principe Excellentissimo dicere
aggredior, non frustra, opinor, fuero, si
& abhinc mea proficiscatur oratio. Quid
enim aliud, q̄vàm mundi astra splendi-
dissima, Principes sunt, q̄vos nasci gaude-
mus, natos colimus supplices, ereptos
acerbè dolemus? Quæ religiosa & homi-
num

num pectoribus quasi instillata Imperantium veneratio eò quoque deduxit Gentiles, ut suorum Regum Heroumq; progeniem ipsi Deorum femini transcribere, suâ superstitione ducti, haud ambigerent. Rati, non potuisse ex humano sanguine generari, quos supergredi humanam sortem & divina ad eò perpetrare facta conspicerentur. Ita stupendum bellifulmen Alexandrum Jove genitum gloriabantur sui, ipse verò, se ejusdem salutarium filium, impensè secum gaudebat & lætabatur. De Marte quoque Romuli genitore, plena sunt veterum memoriarum monumenta. Cui equidem superstitioni vacare nobis Christianis non licet; nec, fictitios accersere & emendicare veluti auctores, decorum, ubi de veris sat abundeque constat. ANHALTINORUM & OLDENBURGICORUM stemmata sunt, ex quibus nobilissima hæc succrevit soboles. Quorum antiquitatem & virtutes, quibus adhuc spirant utriusque Stirpis Heroës, dum recogito, tanta ab omni parte circumfluit nos dicendi copia.

B

tan.

tanta ubertas, ut si illustriora saltem perstringere tentarem, res non pagellarum aliquot, sed integri, sed & vasti voluminis foret. Non enim ad WITTEKINDUM pugnacissimum illum Saxonem, & suæ Gentis Regem, aut certè Imperatorem bellicum, persistere nobis integrum; sed remeandum ulterius ad BERNTHOBALDOS, five BERTHOLDOS, Harcyniæ, Ballenstedii & Ascaniæ Dominos (nam ultra mille annos effloruisse hanc profaniam traditur) Duces & ipsos Saxonum fortissimos, quos omnes Majores & Genitores celsissimi ANHALTINI Generis memoriæ veteris proclamant fides. Tum deinde transeundum per BERINGERORUM pugnas, HERMANNORUM strages, ARIBONUM vel ARIBERTORUM prælia, arcescendæque victoriæ adversus Vandalos, Sorabos, five, Francos aliasque Gentes ab invictis Heroibus illis paratæ, quas tacitâ mentis religione admirari præstat, quàm incomptis temerare verbis.

Illud

Illud tamen singulare planè & ad evi-
dens divinæ providentiæ indicium est,
quòd Celsissimæ ANHALTINA
& OLDENBURGICA domus
per octingentos, & quod excurrit, an-
nos necessitudinis arctioris vinculo ste-
terint invicem junctæ. Diverfa Prin-
cipum à privatorum familiis sors est:
hi, cum sibi tantum nascantur, propriis
in curis consenescent, quæ orbi ipsos
dividi vix patiuntur. Oriuntur, florent,
pereunt mox in mediâ ipsâ, mox pro-
vectiori ætate privatae stirpes; sed ea-
rum periodi parum sollicitos mortales
habent. Principes verò altissimâ scenâ in
mundi theatro eminentes sagi togæque
partes, & quicquid à suis fortiter gestum,
sibi vindicant, omnibus conspicui & ex-
tollendi ab omnibus. Nam quicquid fa-
stigi, quicquid claritatis adipiscuntur,
quicquid sumunt deniq; lucis Principes,
non sibi metipsis circumfundunt tantum,
sed pariter suam illustant posteritatem,
quæ eò diutiùs perstatque ac durat, quò
magis summo Numini existit curæ.

A ij

Illud

Illud autem , quod memoravi modo,
foedus amicitiae sub WITTEKINDO
potissimum novas cepit vires , ducente
in matrimonium ARIBONE BE-
RINGERO , tertio ejus nominis, HA-
SALAM Germanam ejusdem fortissi-
mi Saxonis sororem. Abhinc communis
WITTEKINDIANÆ & BERIN-
GERIANÆ stirpis felicitas, calamitas
communis, indissolubilis tamen ubiq; ne-
xus, non tentandus unquam, nedum dis-
rumpendus temerè. Quod unicum quan-
tam nobis suppeditare historiam posset?
Exortis enim atrocissimis contra Carolū
Mag. bellis , WITTEKINDUS & ARI-
BO clari armis & incredibili animorum
robore præditi, consurgere ambo, con-
quirere Martios cives, jungere copias, in-
struere aciem, dimicare fortiter, eandem-
que præliorum experiri aleam. Nec in-
cruentum Carolo bellum fuit, Saxoni-
bus in pugnas obstinatis, nec languidè
pro suâ libertate cernentibus. Nunc ve-
rò iterum hæcce contemplantem in ad-
mirationem rapit perpetua animorum
WIT-

WITTEKINDI & ARIBONIS
conjunctio & par in multis utriusque for-
tuna. ARIBONE capto à Carolo,
Salvatori ille CHRISTO suum profes-
sus nomen, idem & exemplum, & auctor
extitit WITTEKINDO, impetratâ ab
Imperatore pace, veram quoque fidem
amplectendi. Neque enim satis se feli-
cem putabat ARIBO, nisi suam fortu-
nam, quam summam & absolutissimam
se tenere haud ex vano existimabat, par-
ticiparet amicus. Hi sunt auctores AN-
HALTINÆ OLDENBURGICÆq;
familiarum, quæ omni fermè Europæ de-
dere Reges, Electores ac Duces, certè
non paucos Principalium prosapiarum
statores. A quibus ad Nostrum usque, in-
corrupto splendore, Celsissimi stemma-
tis decurrit decus, novis subinde & raris
virtutum radiis illustratum. In quæ equi-
dem laudes si excurrere præsumerem,
dies citius, quàm materies, me defecturus
timeretur: quippe quæ tot præconum
ora, tot doctissimorum scriptorum ma-
nus defatigârunt jamdiu, certè graviter

B iij

occu-

occupârunt. Hinc novo Comitibus Im-
perii titulo ARIBO five BERINGE-
RUS ornatus Ascaniæq; Dominus de-
claratus, & postmodum Principum Im-
perii nomine ANHALTINI insigniti
leguntur. Inclytus satis BERNHAR-
DUS est, qui in Electorale culmen à
Friederico Barbarossa evectus, sede sibi
hic Wittebergæ fixâ, insignia trabium au-
ratarum & nigrarum, fertiq; rutacei, qui-
bus Duces Saxoniae usque dum utuntur,
primus assumpsit & usurpavit. Nume-
rat insuper Saxonia inter Electores suos,
pari cum Regio diademate ornatos, RU-
DOLPHOS, ERICOS, ALBER-
TOS, deprædicat OTTHONES,
CONRADOS Brandenburgica di-
tio; utraqve illorum memoriam piè ac
reverenter adhuc habet atq; recolit. O-
mitto coeteros Magnanimos ANHAL-
TINOS Principes sub Imperatoribus
frequenter militantes, reportatâ immor-
tali famâ, nec pacis tempore minùs cele-
bres. Sed nec ex ANHALTINIS
summi defuere sacrorum Antistites.
Quid

Quid enim de SIGFRIDIS? quid
de HENRICO, WILHELMO,
ADOLPHO, RUDOLPHO,
JOHANNE, GEORGIO aliisque
(nam si omnes recensere pararem, serò
orationi finis futurus esset) nunc profe-
ram? qui ad capessendos Archi Episco-
patus & Infulas Magdeburgensium, Bre-
mensium, Martisburgensium & Sve-
rinensium electi, non sanctè minùs,
quàm magno spiritu statum Ecclesiæ
sustinuerunt, administrarunt, gubernâ-
runt. Non est indignus magnis Princi-
pibus hic gradus, quem nec maximi Re-
ges, nec Imperatores augustissimi, habué-
runt insuper. Quòd si enim Numa
Pompilius suæ Ægeriæ DEÆ sacerdotem
ipse Pontifex Maximus in spississimis illis
Ethnici cultus tenebris se profiteri non
dubitavit, quidnî honori maximo ce-
dat, veri & unicè adorandi DEI præ-
fuisse cultibus? Taceo fuisse inter ipsos
Cæsares, qui vitæ sanctæ & sublimi
mysteriorum scrutinio posthabuere
sceptri fortunam. Sed res miratu
B iiij digna

digna est , de rerum gestarum gloriâ &
suæ Gentis famâ contendisse & decertâs-
se quasi cum ANHALTINA OL-
DENBURGICAM stirpem. Nam
& hæc certatim immensi mundi lumina
ex sese peperit, quorum radii per totum
se penè orbem benignè diffuderunt.
Hinc HENRICI magnanimi, hinc
CHRISTIANI fortes, hinc CON-
RADI & GERHARDI & THEO-
DORICI bellicosi: illinc OTTHO-
NES, MAURITII, NICOLAI,
CHRISTOPHORIq; in Numinis
ministeriis præcipui & summâ purpuræ
dignitate condecorati. Nec Virtus eo-
rum sine præmio stetit. Tulit namque
ex CHRISTIANIS alter Regium
Daniæ, Norvegiæ & Sveciæ axioma bel-
li & pacis tempore verè magnus. Quam-
vis enim nullis illecebris ad se pertrahe-
re homines amet Virtus, nec quem-
quam honoris & gloriæ causâ magni
quicquam facere velit; præstantissimis
tamen illa sui sectatores maçtat præmiis,
collocatis ipsis super omnibus, cum Virtu-
tem

tem anteferre omnibus sponte suâ non
dubitaverint. Solenne aliàs esse solet iis,
qui Oratorum partibus defunguntur, ut
eloquentiæ dotes magis exferant, mul-
tum ac sæpiùs digredi, magna cum ma-
gnis conferre, eorumq; paritatem juxta
ac discrimina longâ serie propalare. Mi-
hi verò in præsens, dum harum stirpium
præstantia me detinet, contraria in eun-
daratio est. Æqvale fastigium, æqvalia
facinora, plus dicam, æqvata gloria fa-
ciunt, ut paritatem quidem earundem in-
dicare liceat, disparitatem non liceat.
Adeò eodem dignitatis gradu utraq; e-
minet! Sed ut ad ANHALTINOS, à
quibus nos paululum OLDENBUR-
GICA Virtus, se prætermissum iri veri-
ta, divertere fecit, redeamus, non dissi-
mulandus post alia sexcenta, quæ hîc ad-
duci poterant, igneus ille & planè divinus
ardor erit, quò inflati & stimulati illi cœ-
lestis veritatis doctrinam, ministerio
MARTINI LUTHERI, Viri invicti, post
diuturnas tenebras, quæ universum
Christianum orbem obruerant, in lu-
cem

cem protractam, & suæ majestati reddi-
tam coluérunt ardenter & intrepidè pro-
fessi sunt. Atque hinc religionem de
CHRISTO veram in suas terras reci-
pere, collocare in tuto, constituere sacro-
rum ritus, ceremonias ad certam for-
mam redigere, definitum declaratumq;
fidei sensum magnificè asferere, nihil an-
tiqvius habuère ac prius. Quò nomine
inter alios dignis evehendi laudibus veni-
unt **WOLFGANGUS I. & GEOR-**
GIUS: quorum ille Augustanæ, quam
vocant, Confessionis subscripsit, subscri-
ptam Carolo V. unâ cum reliquis ejus-
dem fidei Principibus obtulit, oblatam
non minûs acriter, quàm constanter pro-
pugnavit: hic ipse reverendissimus Mag-
deburgensium Præpositus & Vir Theo-
logus summus, generoso spiritu excita-
tus, spretis & contemptis minis veram cu-
stodire fidem, atq; in eâ ipsam adeò veri-
tatem, enixè allaboravit. Nec pulcher-
rimi eorum conatus invanum abiére.
Sicut enim veritate **DEUS** nihil præstan-
tius, nihil majus unquam contulit in ge-
nus

nus humanum; ita eidem quoque tam admirabilem vim, tamque divinum adjunxit robur, ut quamvis oppugnetur undique, illa tamen contra ingenia hominum, calliditatem atque solertiam, contraque omnes insidias hostium machinasque, quibus quaeritur, invicta stet & facile se per seipsam defendat. Sed excellens rerum divinarum notitia ulterius provexit GEORGIIUM, ut ipse præclaros libros tractatusque egregios, quibus vivet perpetuo, sacrae sapientiae plenos ederet in publicum, ex quibus non ignota solennis dissertatio est, quam ipse sacrorum Antistes AUGUSTI, Saxoniae Electoris, Herois fortissimi, cum ANNA, CHRISTIANI III. Regis Daniae Filiâ, nuptiarum auspiciis, in arce Torgaviensi, stupentibus omnibus consecravit. Hoc fama rerum vehit, hoc aeternitas temporum celebrabit imposterum, parentes liberis, liberi posteris narrando tradent: Principem Theologum & Theologum Principem non invidisse publicæ luci, quæ ipse ad verbum Domini erat meditatus. Qui
Juli-

Julium, Romanæ Monarchiæ five au-
ctorem, five statorem, honorificè prædi-
cant, & hoc ad memoriam laudis repo-
nunt, quòd tantæ eruditionis fuerit, ut
res gestas suas ipse consignaverit. Quid
ergò de GEORGIO dicendum foret,
qui non in suis, non in humanis, sed æter-
næ veritatis rebus occupatus immorta-
le nominis decus sibi comparavit? Eant
nunc vilissimi contemptores & morsun-
culis & vellicationibus suis illudant pro-
tervè doctis viris, qui ingentem doctri-
næ modum scriptis omni orbi sistunt,
quasi jactantiæ æstro illi perculsi, quasi
gloriæ cupidi vanæ prolabantur ad tan-
ta opera: reperimus in GEORGIO
nostro scutum, quò tegere eruditos; re-
perimus arma, quibus refellere cavilla-
tiones istas & strophas valeamus. Ne-
mini enim ad illud fastigium contendere
vitio verti jure poterit, in quò stetisse &
Viros Principes, notat. Sed de Proavo
& Avo Nostri, JOHANNES & JOA-
CHIMO ERNESTO nihil dum
dixi, nec dicturum me dignè sperare ha-
beo:

beo: cum tantus hic iterum dicendi pa-
teat campus, ut in eundem inromissurus
se vix per aliquot dies emetiretur iter.
Contra Rhetorum aliorum ergo regulas
Lacones æmulari iuvabit, qui de magnis
etiam rebus publicè dicturi, omis-
sis am-
bagibus, paucis expedire destinata tene-
bantur. Illi igitur Pios, Fortes, Sapientes,
Magnanimos se toti orbi, Imperatoribus
fideles, subditis clementes sese præstitere,
per omnia Principum nomen eximiè
tuentes. Dum verò ad Divi nostri Prin-
cipis Patrem RUDOLPHUM, piissi-
mæ memoriæ, provehor, si desiderio
cordis responderet vis ac potestas, eò
votorum meorum tenderet summa, ut
Demosthenis vel Ciceronis ore uti, &
prout promeritus est, efferre eundem
mihi detur. Tum verò facundiæ cothurno
instructus per liberalia studia, quibus se
dedit à primis statim annis, irem; & quàm
magno fervore administrandi Respu-
blicas artes addidicerit, memoriâ custo-
dierit & exercuerit felicissimè, expone-
rem. Retexenda longinqua & impedita

C

fatis

fatis itinera, quibus Romam visitavit,
Neapolim vidit, totam lustravit Ita-
liam: remeandum deinceps cum Ipso
per Mediolanum & Helvetiam, simul-
que, quæ utilissima ibidem observave-
rit, percurrendum foret. Illud tamen
sileri minimè debet, quòd tantas in hoc
Principe dotes suspexerit admodum
Ferdinandus, Magnus Florentiæ Dux,
aliique Italiæ Principes, ut RUDOL-
PHUM non amore complecterentur
tantum, sed & æstimarent maximè egre-
giam Ejus idolem, quam ad summa o-
mnia aptam perspiciebant. Nec sibi hic
defuit RUDOLPHUS. Nam Italicè
edoctus satis, in circo, in campo, in pa-
læstrâ frequens animi vigorem unicui-
que strenuè approbabat. Quò nomi-
ne & CHRISTIANO IV. Danorum
Regi, & FRIEDERICO IV. Palatino
Electori notus, singularem ipsorum fa-
vorem facile meruit. Alterius enim co-
ronationis solennibus interfuit, alteri ex
torneamentorum usu inclaruit. Hic ipse
RUDOLPHUS est, qui ad jam
lau-

laudatum Daniae Regem ab Electoribus
& Principibus Imperii mittebatur arduis
& gravibus tractandis discutiendisqve
causis. Quamvis verò in priori conju-
gio non favere adeò fortuna Principi vi-
deretur, dum ex DOROTHEA
HEDWIGE ex BRUNSVICEN-
SIUM & LÜNEBURGENSIUM
familiis oriundâ masculam susceperat
prolem nullam, & Ipsâ iterum post tristi
fato orbabatur, mox tamen meliori fide
illa adfuit. Cum enim ad secunda vota
transiens MAGDALENAM sexûs
sui decus & inusitatum planè exemplum,
JOHANNIS OLDENBUR-
GICI Comitis filiam sibi junxerat, tan-
tæ ea felicitatis fuit, ut altero mox partû
masculum, qui ipse noster JOHAN-
NES erat, immenso subditorum gau-
dio eniteretur. Quid enim non polli-
ceri poterat Illustrissima soboles ex AN-
HALTINORUM & OLDEN-
BURGICORUM sanguine in unum
corrivato prognata? Ex fortibus crean-
tur fortes, & transit in liberos parentum

C ij

Vir.

Virtus, nec feroces aqvilæ progenerant
imbelles. Grande hoc depositum SER-
VESTA excepit, urbs ex solâ Osterbur-
gensium arce in tantam magnitudinem,
quâ nunc est, per ANHALTINO-
RUM, quibus deinceps cesit, provi-
dam curam provecta, exquisito jurium
& privilegiorum honore ab augustis et-
iam Imperatoribus munita, sedes suo-
rum Principum vetustissima, illustri lu-
do, qui doctissimos subinde viros de-
dit, memorabilis, coeli temperie nulli in-
ferior, certè potu, quem svaviorem co-
qvunt cives, etiam in exoticas terrarum
oras devehendô propriâ sibi, sed & in-
vidiosâ prærogativâ superior omni-
bus. Cui nova & benefica lux (Prin-
cipes enim collustrare magis suas pla-
gas, quàm quicquam splendoris ab iis
mutuari rectius dixeris) in JOHAN-
NE illuxit, dexteriolem de CHRIS-
TIO fidem, nescio quô astu con-
taminatam, aserturo olim, & postli-
miniò quasi in sui sensus vindicatu-
ro veritatem. Quâ vel solâ magnis
Re.

Regnorum capitibus palmam præri-
re, dubiam certè reddere, Serveſta haud
vanâ, puto, exiſtimatione cenſebitur. An-
nus agebatur ſeculi noſtri vigefimus pri-
mus, turbis Hungaricis, motibus Bohe-
micis & de religione diſceptatione ad po-
ſteritatis memoriam inſignis, quo, die
vigefimo primo menſis Martii lucem ad-
ſpexit Noſter, jam dudum à ſuis piis vo-
tis agnitus & ardentiffimis precibus exo-
ptatus. Non enim tùm demum exiſtunt
Principes, cùm naſcuntur: ſunt ante-
quam fiunt, ſunt in votis, ſunt in animis
atq; judiciis ſubditorum. Quamvis au-
tem gignere & gigni fortuitum videri
poſſit; ad ſingulare tamen Deorum be-
neficium interpretabantur Romanorum
mulieres, prolem ſuſcepiffe ex maritis;
idq; vel ſterilitatis poenas evitâſſe, vel me-
ritas foecunditatis præmia. Quorum al-
terum cùm ſibi metuere non poterat
MAGDALENA, alterum in ſuo JO-
HANNE indepta eſt, quippe quem aſſi-
dere clavo, quem regere imperii navim,
animo jam cernebat. Et verò intra angu-

C iij

ſtos

stos coërcebatur parietes Romanarum
foeminarum gaudium: Nostra puerpera
facta, quam latè ANHALTINI co-
lunt, insolenti tripudio perfudit cuncta ac
refovit. Sed ut nunquam eodem vestigio
stat fortuna, semperq; mortales, quan-
tam cunqve persentiscant felicitatem, i-
ctum experiri habent infestum: ita læta ac
fausta omnia triste turbavit fatum, con-
versis brevi gratulationum solennibus in
querelas, planctus & ejulationes horridas.
Nondum enim elapsis sex mensibus ar-
denti ac continuâ febris oppressus opti-
mus Pater RUDOLPHUS heu! extin-
ctus est. Tum verò Patriæ Pater, subdito-
rum salus, Conjugis solatium, & quod a-
cerbissimum omnium, futurum parvulo
exemplum, omnium spes, ac vota omniū
in uno concidebant RUDOLPHO. Qui
maris clementiam experiuntur, capitaq;
sua & res commisere undis, ut paludosa
freta & æstuum incerta ipsos non fugiant,
haud timent tamen obrectoris fiduciam,
quem sibi adesse vident, qui gnarus loco-
rum, qui cœli ventorumq; mores intel-
ligat,

ligat, & ex quibusdam signis prævideat o-
mineturque, quid instet, peritè, ut, quæ
imminent, ambigua tristiaue declinet
maturè ac caveat. At cum eundem
aut casus aliquis, aut fatum suum abstulit,
neque apparet statim, cuius peritiam ac
artem vectores opponant fortuitis; tum
plerosque ipsorum despondere animos
advertas, ac tantò magis quemque esse
solicitem, quò vitæ fortunisque timet
magis. Non comparatum aliter cum
Anhaltinis rebus videbatur. Abripue-
rant fata Governatorem, & quamvis
non deficiebat alter (quod unicum lu-
ctum immensum levare poterat) alio-
rum & ipse tamen ope educandus & ad
artem imperandi probè subigendus, con-
sulere in publicum, vel præesse regimi-
ni nequebat. Interim consilium turbi-
dæ res, non fletum expetebant, nec co-
gitandum, quàm alta ac ingens plaga e-
rat, sed quàm obduci maturèque sa-
nari utcumque posset, respiciendum.
Nam & bellorum rabies rapinis, incen-
diis, coedibus miscebat tum temporis

C iiiij

& ve-

& vexabat omnia, ipso Imperio quasi in partibus suis commoto. Proinde cum facies mali miserrima ditionis ob oculos semper posita haud tralatitiè exaggeraret indies infelicitatem, & charissimo quoque pignori tenerrimè timeret provida Mater, Wittenbergam concedere rata, ibidem per spatium temporis substitit. Imitata scilicet prudentissimos milites, qui, cum hostium impetum amplius repellere haud valeant, ingenti Reip. commodo se recipiunt, ne inulti pereant. Vigilantior namque cura desiderabatur in tuendâ Principis juvenis salute, quò præsentiori discrimini in tantis procellis expositum ipsum animadvertēbat. Privatarum familiarum strages singulos affligunt; at Principis clades in omnes se diffundit, quia & præest omnibus, & patet illa tam latè, quàm latè ipsius regio patet. Illa verò circumspectior optimæ Matris cautio effecit, ut invictissimus FERDINANDUS, sui nominis secundus, Eidem Gnatum suum educandi, prout ipsi visum fuerit, faceret potestatem. Præcipua
eqvi.

æquidem in Principe educationis cura
est, à quâ deinceps reliqua vitæ ratio de-
pendet. Ac quamvis sibi incumbant
graves animi, vix tamen se æquè magni-
tudo regere potest sine duce. Quo-
cunq; inclinatur, eò solet & rapi, & quan-
tum prodesse potuisset insistens bono,
tantum & mali affert in partem prolapsa
contrariam. Hinc eximiè, quisquis fuit,
pronunciavit: salutem Reip. in bonâ
Principis institutione verti, minoraque
belli, quàm institutionis pravæ mala esse;
quippe illa non nisi ad tempus urgere,
hæc, quoad vivit ipse. Non vulgare
verò inter eruditos jam olim cæpit agita-
ri argumentum, an & foeminis permit-
tendum, ut educant Principes, cum ipsæ
regnandi artis imperitæ, nec ipsorum in-
dolem formare, prout par est, aut flecte-
re, nec eosdem, quod potissimum in Im-
perante, ad arcana regiminis asseverare
potes existant? Interim Regiam prolem
apud Persas mulierum spadonumq; edu-
cationi cessasse alii annotârunt. Et sicut
Plato execratur profusas hic delicias; ita
disci.

disciplinæ durioris limites à generosis sæ-
pè animis perrumpuntur non semel, fre-
quentius lanè impugnantur. Ut non
æqvè benè omnibus audiat Lycurgi
præceptum severius, ad agros pueros re-
legantis, & sine pulmento eosdem dege-
re debere jubentis. Novimus foeminas,
novimus viragines, quæ virilibus curis
foeminarum vitia exuérunt; nec quis-
quam negaverit protervé, hodienum
Deboras, Sentias, Afranias, Hortensias
& Clælias in foeminarum animis perdu-
rare. Nec tralatitium est, quòd magnus
Stagirita curæ paternæ, Tacitus fortunæ
& laborum participes velint uxores;
quid facturi illi viris vitâ defunctis? Et
cur abstrahamus liberos ex matrum am-
plexibus, quarum amore nihil tenerius,
affectu nihil constantius aut impensius
cogitari unquam potest? Non dolores,
non cruciatus, non dira mortis pericula
memoriam charissimorum pignorum
tentârunt saltem, nedum maternis pe-
ctoribus excussérunt. Neq; verò sibi
soli educandi partes morosè vindicabat
sapi-

sapientissima **MAGDALENA** ; sed
qvas sibi competere intelligebat, aliorum
consilio opeqve administrare malebat.
Probè gnara, falli sæpiùs, qvi sui ipsius ar-
bitrio agere omnia præsumat, pluriumq;
institutione ac exemplo proliciendam
indolem ejus, qvem præire pluribus,
qvem exempli regulam reddere & im-
plere olim oporteret. Hinc, qvi Tuto-
rem agebat, Serenissimus **AUGU-
STUS**, in dubiis quoq; adesse, & abun-
dantissimè in casus omnes consilia in-
struere. Sed cùm virtutis exemplum in
ore juvenum semper agere præstet, du-
ctor **JOHANNI** Generosus Thumbs-
hirnius, ipse jam Cancellarius & Consilii
sanctioris Senator gravis in Altenburgi-
câ aulâ, additus est; qvi hanc provinciam
etiam ita obiit, ut multum in eum, qvem
suæ commissum fidei sciebat, redundaret
utilitatis, ipsum verò plurimum laudis &
gloriæ maneret. At enim de **ANTHO-
NIO GÜNTHERO** Oldenburgico
Comite, & Nostri Avunculo nihil adhuc
memoravi, ad qvem cum Wittebergâ
com-

commigrâset Soror, unâ cum suâ fami-
liâ, ingentem suo adventu lætitiâ Fra-
tri obtulit. Qui id deinceps unicè ope-
ram dedit, ne deviaret (si deviare & me-
liora possunt) excellentissima soboles, sed
in majorum succresceret exempla. I-
psum infantia tempus literarum rudi-
mentis transactum, quibus erudiri & ad
spem majoris scientiæ imbui juvenus so-
let. Potissimum verò ad pietatem exci-
tata indoles, quæ virtutum non obstetrix
sedula tantum, sed nutrix optima & fide-
lissima custos meritò prædicatur. Ac
cum exquisitum religionis suæ, id est, Au-
gustanâ Confessione assertæ, studium in
Matre ferveret, instillatum iri quoque ean-
dem sanctissimam & verè catholicam
fidem Filio exoptabat. Haud frustra sibi
existimans, educantis officium non satis
se absolvisse, nisi & ad æternam salutem,
in quâ vis & excellentia animarum posi-
ta est, viam Filio pararet veluti & strueret.
Nam cum ex animâ corporeque constet
homo, ac illa quidem cœlo originem,
hoc incunabula sua terræ debeat, nobi-
lior

lior pars haud negligenda aut curanda o-
biter, nec vilior ista ita habenda, ac si hæc
sola hominem constitueret. Tum quoq;
simul Latinam literaturam hausit; sed &
Græcis literis aliquid temporis datum
fuit, quantum convenit scire iis, qui non
scholæ, sed publico nati sunt. Inculcata
quoq; morum civilis doctrina, ne præter-
mitti aliquid, in erudiendâ Principis men-
te, videretur. Nec minus capiebatur
Noster abs se Historiis, quâ veteribus, quâ
recentibus, utrarumq; mediis. Atq; vel
hoc unicum quantum ad regnandi artem
conferre poterat? Damno aliorum sape-
rere cætius, mortuos etiam habere in consi-
lio, capere inde, quod imitère, sædum in-
ceptu, exitu sædum vitare; hæc sunt jam
rudimenta, hæc incrementa sunt, quibus
magnorum fortuna innititur. Eisdem ar-
gumentis motus Basilius monebat suum
Leonem affectu paterno, ut veteribus
rerum monumentis studeret enixius: ibi
enim ipsum reperturum sine labore,
quod alii cum labore collegerint, in-
de & virtutum & vitiorum discrimen,

D

vitæ

vitæ humanæ varias vicissitudines, præ-
fractorum poenas, & proborum præmia
commodè ex illis petiturum. Neq; id im-
meritò. Nihil enim in magno hõc mundi
theatro accidit novi, orbis quidam de-
currit, quæ perpetrata jam olim legendo
advertimus, rursus & ipsi iterum agi cer-
nimus, ut, cum ludatur eadem fabu-
la, diversæ saltem se proripiant perso-
næ, scenâ subinde non nihil commutatâ.
Quæ omnia nosse & pertractata habe-
re, quàm acre ac efficax ad prudentiam
telum, ut lucem veritatis & magistram
vitæ concinnè salutaverit Historiam
Cicero. Sed admirabile videri pote-
rat, quantâ capacitate, quantâ celerita-
te singula, quæ ipsi proponebantur, ar-
riperet **JOHANNES** ad comple-
ctendas omnes artes natus. Illa uber-
tas indolis, illa ingenii, à quò multum
valebat, vis, illa divina ac nunquam
fallens memoria æquè in Ipso & ad-
miraculum eminebant. At enim ea-
dem, quantacunque, superabat gene-
rosus impetus omnem sapientiæ par-
tem

tem comprehendendi. Dum hæc ce loquor,
dum plura locuturus sum, egregiæ, qui-
bus fuit Noster, corporis me vellicant do-
tes, ne, cum in illis detinear diutiùs, ipsas
deinceps præteream. Tanta verò in his i-
terum se dignitas insinuat, ut undè exor-
diar, in quò de finam postmodum, incer-
tus planè hæream. Fallit quidem sæpissi-
mè externa facies, atq; haud rarò emen-
datisimū corpus foedum & maculosum
animum ambit; nam & magnos non se-
mel contemptui formam habuisse, negle-
ctamq; honori duxisse legere apud scri-
ptores est: attamen, ut nescio quis Poëta-
rum cecinit;

Gratior est pulchro veniens è corpore Virtus.

Et gravis in Galbam eloquentiâ clarum,
sed dignitate corporis destitutum Marci
Lollii vox fuit: Ingenium Galbæ malè ha-
bitat. Ut ita haud vulgare ad auctorita-
tem pondus honor corporis afferat, qui
in Nostro omnibus absolutus numeris si-
stebatur. Justa proceritas, congrua mem-
brorum concinnitas, frontis gravitas, o-
culorum hilaritas, genarum purpura, oris
svavitas. Ipsas eqvidem Charites sedem in

D ij

ipfius

ipsius vultu fixisse putasfes; sic nihil non
summam præ se ferebat gratiam. O gra-
tiosum Principem, quoniam gratiarum habi-
taculum! Tale comis illa ac benigna
mens sibi domicilium metata erat, ut ex
vultu Principis, ex habitu coetero colli-
geretur statim, quantum inceserit habita-
tor. Talis procul dubio formæ eximiæ
& per omnes ætatis gradus venustissimæ
Cæsar Augustus fuit. Titum quoque gra-
tia amabilem, gratia delictum populi fa-
ciebat. Quid? quod divinum aliquid
reddere videbatur hæc amabilitas, cum
quæ luminum illa majestas subinde con-
tendebat. Benè hinc Poëta:

Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum.

Accedebat corporis robur, agilitas ala-
cris, & quæ primo loco memoranda e-
rat, valetudo continuo prospera. Ut
adeo consummatissimæ, quæ animi,
quæ corporis dignitati nihil reliqui fe-
cisse videretur alma mater natura. Et
enim dum molitur ipsa Principum in-
genia & staturam, de cunctis thesauris im-
pendit magnificè, quicquid raræ atque
exi-

eximia ibi conditur dotis. Instatuarios
pictoresqve æmula scilicet, qvi absolu-
tissimæ pulchritudinis speciem posituri,
qvicquid notabile arte ac elegantia, aut
observaverint uspiam, aut ipsi concepe-
rint animo, in simulacrum five imaginem
suam libenter conferunt. Sicut verò ne-
mo, qvòd præclarè Aristoteles monet,
naturâ existit sapiens: ita nec quisquam
artium, quæ corpus exercent, abs se peri-
tus. Proinde & iis multum temporis im-
pendit Noster. Mox circumagere eqvos,
(quos generosos præprimis Oldenbur-
gica, in quâ versabatur tùm JOHAN-
NES, regio ferre solet) mox expeditè in-
filire, modò in palæstra contendere, mo-
dò hastam torquere, in torneamentorum
lusu facere periculum modò, modò & fal-
tu sese exercere. Sunt qvi hocce exercitii
genus indignum Viris Principibus statu-
unt, levitatis signum & vilitatis instru-
mentum interpretantur. Nam & nescio
qvem Alfonso tripudiantem cum stul-
to comparâsse, Romanos gravissimis vi-
tiis vertisse, & adhuc choreas inter op-

D iij

pro.

probria ferè & indecora numerare Hispanos : verùm si didicerint hi agriculi, non eadem omnibus esse honesta atqve turpia, sed omnia majorum judicari institutis, non admirabuntur, nos Optimi Principis laudibus saltandi elegantiam accensere. Etenim & sanctos viros Regesqve exhilarasse ita spiritum deprehendimus, & Gallorum, Anglorum Germanorumq; moribus non turpe cuiquam, sed laudi ducitur commodè saltare. Quæ verò invidia est, velle arcere ab oblectamenti Principes, qui salutem omnium conservandæ inæstimabili curâ invigilant. Solisne Regnantibus legem inhumanitatis dicere, ne remissionum, quibus privati haud interdiciuntur, generibus hilariter indulgeant. Spectatam jam fati Nostri scientiam instruebat magis magisque ac consolidabat veluti usus rerum ex aulâ diuturnior & vastum illud negotiorum volumen. Cùm enim in decora magnanimi Avunculi intueretur assidue, documenta ejusdem, observando & seponendo, faciebat sua, perpetuus consilio.

liorum & actuum testis & imitator felicif-
simus. Multum ad excitandos Principum
spiritus exempla conferunt, quibus insti-
mulantur mirificè, ut ad laudem eandem
pulcherrimâ æmulatione contēdant, quâ
excellere vident alios. Quemadmodum
ergò in depravatâ aulâ educari bonum
Principem, quod ingeniosissimus Saave-
dra censet, æquè impossibile, ac cum cir-
culo rectam ducere lineam, ita in emen-
datiori, ubi severior sibi disciplina con-
stat, furculos imperii fingi optimè ac in
Patriæ commodum educi, sanior quisq;
haud ineptè concluderit. Non enim o-
mnia summæ nati fortunæ é libris petere
habent necesse, non pauca prudentum
confortia commerciiqve fides sibi vin-
dicant, ut æquè erraverit qui omnia
hîc, quàm qui nihil literis tribuere su-
stineat. Quamvis enim, ex Poëtæ mo-
nito,

— — — Exeat aulâ
Qui velit esse pius: virtus & summa potestas
Non coëant. — — —

tamen non omnes Principum aulæ pro-
stibula libidinum & feritatis diversoria,

D iiiij

mul-

pateretur minimè, sed qui majorem lucem, splendoremque desideraret majorem. Hollandia fuit, quam visendi primum impetum cepit Noster, ubi quicquid illa per Amstelodamum opulentia, per Lugdunum amoenitatis, per Roterodamum splendoris, per Trajectum magnificentia, aliasque civitates in munimentis ac propugnaculis & palatiis eximii continet, aut artis unquam & elegantia jactat, lustravit Noster & advertit intente. Quid enim non habet Hollandia, quò se efferat? Totius orbis emporium est, navigationibus longinquissimis inclyta, frequentique commerciorum usu per insignis. Cernuntur ibidem Europæ deliciae, Americae rariores opes, felicitas Asiae, Africaeque fecunda ubertas, omnibus quasi certatim suas divitias eò congerentibus. Nimirum tum augurari de suo Principe a comen ducere cives poterant, dum in illa gente ipsum agere accipiebant, qualem se olim gesturus sit, administrationi communis rei ad motus. Sunt enim frugi attentique Patres familias Hollandi,

landi, ad improbos etiam labores obdu-
rati, coetera moribus faciles ac comitatis
exqvifitissimæ. Cùm verò duo potissi-
mum fulcra sint, quibus imperiorum in-
nititur moles, prudentia pacis & virtus
armorum, horum quoque rudis planè &
inexpertus noluit esse Noster, ut in bello.
rum etiam turbinibus, si eò adduxisset ne-
cessitas, consulere in medium valeret.
Hinc castra secutus FRIEDERICI
HENRICI Auraniæ Principis discipli-
plinam belli diligenter observavit, mili-
tes ad nutum monentis intentos, sequi
signa, ordines servare, obsistere, circumire,
discurrere in cornu, mutare pugnam; fa-
tigatis humum cubile esse, cibum, quem
occupant, satiare, temporaque somni ar-
ctiora, quàm noctis ipsos experiri. Sed
nec ipse extra discriminis aleam fuit.
Cùm enim urbem Hülst obsidione cinxe-
rat fortissimus FRIEDERICUS, glo-
bus eximiæ magnitudinis tormento in-
oppugnantes emissus prope nostrum
JOHANNEM, imperterritum tamen,
concidit. Adeò tentare quidem, non
verò

verò perdere, quos curæ DEUS habet, fortunæ datur! Ne verò in his talibus juventutis face stimulatus diutius hæreret Noster, fixumq; altius belli studium ambitiosa teneret dulcedine, ab iis, quorum tum in Ipsum arbitrium erat, revocatus coeteras terras exoticas, utut magno eas videndi desiderio flagrabat, peragrare non potuit. Nam & pubertatis tempus imminebat, & ituro longius subditorum obstabant vota, de Principis sui salute anxie sibi metuentium. Quid enim fabulæ aliud docent, quæ Lycaonem ad Jovis hospitis jugulum nobis effingunt, quam Principes, qui exteris sese crediderint, facile alieno scelere violari? Redux ergò & adolescentiæ emensus annos monitu Tutoris serenissimi capessivit regimen & Servestam ingressus est, sedem Majorem antiquissimam. Tum verò non potuit non obstupescere optimus Princeps ad miserabilem suarum terrarum faciem. Regiones igne ferroque vastatæ, populatæ urbes, pagi eversi, omnia clade squalida horrebant. Disciplina vel neglecta, vel
dsv
explo.

explosa, proculcatae leges, & quod omnium maximè dolendum, subditi dispersi, cæteri omnium rerum ex fortunæ malignitate inopes & vix manibus desiderio suo satisfaciendes. Fertur Marcus Marcellus, Syracusis expugnatis, illacrymasse florentissimæ urbis ruinæ: verùm uti lacrimæ intra mentem generantur, & post ab affectu familiari proliciuntur, ita domesticam quidem sollicitudinem mitigant, in publicum afferunt nihil. Facto opus erat, non effoeminato fletu. Sed hic nondum finis calamitatis erat. Sicut enim atrocissimæ tempestatum procellæ à diversis sæpius, sed simul surgentes plagis eò terribiliores in mortales expetunt, quò magis densissimis nubibus involvunt diem undiqvæ; & impotentissimi turbinis vi miscent omnia ac commovent: ita & variæ simul adversitatum & simultatum procellæ ingruiebant præter subditorum calamitates in Nostrum. Nunquam tamen despondit, sed obfirmavit ubiq; animum, subinde secum reputans, nihil præclarum atq; excellens ad Reip. ad.

administrationem eā collaturum, qui in-
festa omnia non superare audeat. At
enim verò ut ex diversis oris confurge-
bant mala; ita & diversis ventis dispel-
li & sedari iterum debebant. Subdito-
rum igitur miseris indolescens decum-
bentes erigere, mederi fatiscentibus, af-
flictos solari, succurrere egenis, præsen-
tissima parare remedia omnibus: ut ita
delatus modò ad suos non minus Pa-
triæ Patris, quàm Principis, mereret
nomen. Advocabat contra reliqua
animum, mox obluētatus modestè,
mox æquo animo, quicquid accide-
bat, tolerans; cedere, quàm contende-
re malebat sæpius, plurima dissimula-
bat prudenter, procul ab omni malitiâ
& vaferrimâ fraude. Non defuere
inter doctos, qui ingenio leonis & vul-
peculæ induere Principem sategerunt,
ut discat, quâ ratione, loco, tempore
possit esse non bonus: sed detestandæ
artes perfidorum & insidiatorum im-
perantibus sunt, quos eò sanctiorem
afferre fidem decet, quò plures eo-

onq

E

rum

rum fidei se commiserunt. Uti descen-
dere ad vim periculi res est; ita inani-
bus persuasionibus parum conficitur.
Nam & versutissimas haud raró manus
malum eludit, astutiamqve omnem
frustatur sæpè magnitudo. Quàm mul-
ti excogitandis technis & circumscri-
bendi remediis felices larvâ detractâ a-
stutiæ dedere poenas? Memor ergò No-
ster Euripidis moniti, calliditatem non
esse sapientiam, nunquam fefellit fi-
dem, ne ipsam humanitatem exuisse
videretur; nec præcepta regiminis à
brutis arcescere decorum iis opinaba-
tur, qui DEI vicarium reddere in terris
debent. Affectibus potius ponere fibu-
lam, & quod potissimum in regnan-
te ducit Barclajus, filere didicerat,
quàm meditari ad flexuosos sinus, quàm
verba dare turpiter. Non prætereun-
da tamen JOHANNIS GE-
ORGII I. Saxoniae, cujus gloriosam
adhuc memoriam sanctè veneramus,
& FRIEDERICI GVIL-
HELMI Brandenburgici Electorum
pro-

providentia est, qui affinitate & sanguine juncti Nostro, transigere turbida omnia ac componere opere maximo operam navaverunt. Et quid de ANTHONIO GÜNTHERO, Oldenburgico Comite dicam? qui, uti à teneris dilexerat suum JOHANNEM impensius, ita & postmodum nunquam destituit ipsum, consilio, ope ubiqve præsens eò contendit sedulo, ut salus undiqvaq; cognati incolumis perstaret duraretq;. Sed sicut verso astorum positu post nubila sudum coelum beneficæqve lucis amœnitas sese commendare; ita & tristibus læta, dulcia amarum succedere, consueverunt. Patris igitur quietisqve ferè omnibus, jam ad matrimonium convertere cogitationes licebat, quod ipse ætatis vigor tum svadere videbatur, Mater ipsa & Avunculus putabant consultum. Cum verò inter rara sui sexûs exempla & Principum decora coruscaret splendide SOPHIA AUGUSTE ij STA

STA Celsissimorum HOLSATORUM Principum stirpe prognata, eandem sibi pactam, solennibus nuptiarum peractis, domum duxit. Quam si dignis efferre laudibus pararem, longius mittenda Oratio foret. Quid enim non contulit in eam natura, quò possit aut coli corpus ad summam formæ felicitatem, aut fingi ad omnis generis virtutes animus? Ille genarum honor, ille oris flos, frontis fulgens apex, ille oculis inditus & siderum quiddam sapiens fulgor, justa statura, membrorum omnium dignitas, ingens ubique species jucundissime sensus Nostri mulcebantque ac ducebant. Effulgebat ubique pietatis studium, & castitatem pudoris inusitati signa abundè loquebantur. Ne verò talia de prædicando gravemus verecundiam moestissimæ jam Viduæ, tacere hæc talia, quàm in eadem divertere juvabit. Non dissimulandus tamen affectus Ejus in Conjugem charissimum est, quò quid puri-

purius, quid sanctius, quid magis ardens?
Amabat Ipsum impensissimè, sed & eum
decenter reverebatur, ut ita, inter illa a-
moris & reverentiæ confinia, re nullâ
aliâ, quæ inter bona haberi solet, lætari u-
berius aut delectari jucundius unquam
videretur. Sed & Ipsi omnem semper ani-
mum addixit Serenissimus Princeps.
Quid enim in eâ non possidere se existi-
mavit, quâ summa absolvi felicitas pos-
set? Istam delictum animi & plusquam
alteram sui ipsius partem confessus nun-
quam non est & verissimè deprædicavit.
Ita amor amorem pariebat, nec quic-
quam invenit alter in altero, quod un-
quam quæreretur. Increcebat subinde
cum ingenii & affectuum paritate mutua
fides, una mens, unum votum ad aman-
dum certatim provocabant, ut qui non
nôset conjuges, sanctissimum fratris so-
rorisq; contubernium judicasset. Neq; si-
ne foecunditate tam fortunatissimum
connubium fuit. Quot enim charissima
pignora in eodem suscepta Parentibus,
quorum quamvis pleraque præcepta fa-

E iij

tum

tum eripuerit, (nunquam enim indulget simpliciter fortuna?) quatuor tamen Filii, unâ cum Puellâ Principe superant, qui unicè efficiunt, ne orbam se Mater & infelicissimam statuât. Detinuit me paululum à publicis Nostri studiis privata (modò quicquam privati in Principibus esse potest) fortuna. Dum publica jam iterum virtutesq; succedunt in partes, utinam nunc toto eloquentiæ flumine inundare & de iis, quæ maximæ sunt, non nisi amplissimè dicere possem. Sed cum duobus absolvatur potissimum imperii felicitas, sincero & incorrupto religionis cultu & fide justitiæ, quam haud vanè omnium virtutum complexum magnus Stagiræ alumnus dixit, utramque summâ contentione quæsit, propagavit ac stabilivit undiqve Noster. Invaserat, nescio quò Pontificios ritus amolendi prætextu, provincias Anhaltinas c. 10 10 XCVI. anno (nam ante id temporis ex illis tenebris vindicata & in immutatâ Augustanâ Confessione fundata fides per easdem vigebat) Calvinii dogma,

gma, & usque dum JOHANNES
capeseret Rempubl. Ipsius quoque re-
giones infelici fato tenuerat; quod Ipse
divinâ ope profligavit iterum veramq;
postliminiô religionem subditis reduxit:
sed non tam imperio, quam liberta-
tis Christianæ indultu reduxit. Nun-
quam astu hic usus, nunquam descen-
dit ad vim aut movit turbidè omnia,
manu extorturus, quod consilio obti-
nere non posset. Contentus potiùs, ve-
ram religionem produxisse in lucem &
diffusorem alterius inhibuisse cursum.
Sublimissima & tenerrima animarum sa-
lus est, quam quisq; ab se tantò magis age-
re debet, quò magis proprium ipsius pe-
riculum subest, & perpetuò sibi benè esse
cupit. Peditentim igitur, non impetu, in-
cedere malebat Noster, tempore effectu-
rus, quod auctoritate poterat. In Osna-
brugens. enim, in Monasteriensis pacis In-
strumento jus fidei verè Catholicæ, quam
diviserat jam suis terris, asferendæ pro-
pagandeq; Principi nostro facta potestas;
sed pertinaces tamè nihilominus in suos

errores volutari fuit in tenebris, donec
eluctarentur in lucem. Constitutiones
qv oq; edidit non paucas, quibus ritus sa-
crorum sinceritati suæ redditi & restituti
fuere. O optimum! ô fidelissimum Prin-
cipem! qui æternam simul suis procurat
salutem. Quid enim esse attinet, si cor-
pus vivat, & suffocata interim depravatis
opinionibus anima quotidiano enecetur
supplicio? Hæc prima mors est, ex quâ si
surrexerit anima, in alteram, quam pœ-
nalem appellavit Ambrosius, non cadet.
A pietate secunda cura justitiæ erat, cu-
jus observantissimus extitit JOHAN-
NES. Hinc jura, hinc privilegia subdi-
torum salva ac inminuta reliquit non
tantum; sed & in id evigilavit sedulo, ut
facta teçtaq; manerent impofterum nite-
rentq; nobilius. Ac cum summum in suis
provinciis justitiæ se antistitem ac arbi-
trum recogitabat, sæpius ipse in cancellis
versatus, opprimi eandem vel ad incon-
cessa extendi, nunquam permisit. Sicut
verò boni quidem Principis nutu geri o-
mnia fas est, sed expedienda plurima (qui
enim

enim omnibus sufficere posset?) magistratibus rectè atq; ordine relinquuntur; ita in horum actus inspiciebat sedulò, ut ad ipsos unicuiq; jus suum persequi liceret, nullus dolus & fraus perpetraretur nulla. Coeterùm ut natura mortalium promptior multò habiliorq; retinendis malis est, quàm bonis recipiendis, nunquam non inveniuntur maleferiati in Rep. qui per-rumpentes septa legum in illicita ruunt, & æqui boniqve disciplinam corrumpunt: his verò perpetuò obviam eundū strenuè existimavit Noster, ne latius evagaretur licentia, quàm reprehendi ut possit. Quia verò in omni animadversione id attendendum, primò quidem, ut corrigatur, qui deliquit, deinde, si id non possit, ut alii demùm exemplo edito emendentur; recedebat, & rectè quidem, à summo jure mitissimi ingenii Princeps, quoties plus in æquitate utilitatis positum deprehenbat. Nam neque Medicus ægrotas partes recidit antè & demit, quàm cum sanari nullo possint modo, & jam timendum ne & sinceras & integras labes latius ser-

serpens contingat. Sæpiùs non tam mali-
tiâ & datâ operâ improbè; sed juvenili ve-
faniâ vel inconfulto affectu delinquitur.
Jam exasperantur morbi quidam magis
severioribus medicinis, & animi mortaliū
contrâ meliores haud rarò evadere so-
lent, cum castigati modicè atq; puniti le-
viùs fuerint. Qui autem lenioribus reme-
diis minimè se coërceri patiebantur, qui
semel coeptum cursum pervicaciter per-
gentes, scelus scelere aggravabant, qui
piaculares in nefanda prolabebantur
peccata; in eos verò stringere gladium
Noster, asferere disciplinæ rationem &
severissimis poenis crimina ulcisci. Probè
memor, non esse veniæ locum, ubi de-
sperata vecordia pudorem omnem ac
poenitentiam consumpsit. Neq; enim
consistunt exempla, ubi coeperunt, sed
quàmlibet in tenuem recepta tramitem,
latisimè evagandi sibi viam faciunt. Ubi
semel recto deerratum est, in præceps
pervenitur nec quisquam sibi putat tur-
pe, quod alii fuit fructuosum vel abiit im-
punè. Solent boni Parentes subinde sæ-
piùs

pius repetere eadem, quibus liberi ad meliorem frugem institui firmariq; possunt, aliaq; simul salubria noviter addere, ut eo magis in bonum illi proficiant. Perinde & Noster quamvis imperio subditorum dominus, affectu tamen Pater, ut cogitent ipsi, quid sua cuiq; recta ratio jubeat, quid statuant honestatis præcepta, modo alias leges oblitteratas & desuetudine in-umbratas salubriter reduxit in usum, modo novis eisqve utilissimis in publicum commonefecit officii cives. Dixit & suis Lacedæmoniis Leges Lycurgus, sed iis latis profectus in Cretam, perpetuum ibi exilium egit: Noster & condidit leges, & aseruit, & felicissimè secundum earum præscripta regiones administravit. Interim non justos tantum, sed & felices efficere suos suarum partium arbitrabatur Noster, nec quicquam adeo Principes decere, quam ut magna concipiant & præstent. Quanta verò immunitas! quantus privilegiorum honor! quibus beavit magnificè cives. Quot in tributionum onera, quot annorum vectigalia abo-

abolevit? quamdiu reliqua in futurum
benignè remisit? Quàm luculentè in mi-
nistros dispensavit munera? Quot pro-
duxit in publicam lucem? Omnes sanè
opibus auxit lautè & locupletavit. Et
quid Ecclesias, quid scholas loquar? qua-
rum illas restauratas eximio ornatu deco-
ravit; ad harum commoda mirè propen-
sus, efficacissimâ ipsas benignitate profe-
cutus semper est. Hæret huic partæ laudi
& altera bonitatis, quâ præcipuè pauper-
tinæ sortis hominibus & qui ex calamita-
te aliquâ laborabant, consuluit. Nun-
quam enim ejusmodi miseros inanes di-
misit ac vacuos, semper porrexit manum
iis, & levius studuit facere, quod malum
urgebat. Quæ verula calamitas est & do-
lentibus tacere difficile; nusquam verò
justiùs, sed nec efficaciùs illi usquam desi-
deria sua, quàm coram Principe expo-
nunt, qui succurrere ipsis potest, quia
Princeps est, & noluisse nequit, quia opti-
mus, nunquam omisurus, quod facere
potest. Accedebat his summa & mira il-
la comitas, ut averfatus neminem liben-
ter

ter ac promptè admitteret omnes. Nec
ficta ista in Principe , aut temporaria,
vera ingenuaque omni ex parte fuit.
Non enim diuturna atqve stabilia per-
sistere simulata solent , sed sicut adsci-
scuntur præter ingenium ; ita facilè ab
ingenio produntur. Vix mihi tem-
perare habeo , Auditores, qvin indi-
gner ad eos , qui detrahere gravitati
Principis comitatem seriò non eru-
bescunt. Quos enim in Principe non
implet numeros , si quàm verendus,
tàm amabilis idem extiterit? Animatur
regnum humanitatis benignitate impe-
rantium, non secus ac corpora nostra
spiritu, qui vitam largitur, motum im-
perat, salutem corpori impertit. I-
ta Attici, ita Titi comitas, non sine
severitate micuit, nec sine facilitate
gravitas. Quæ ipsa adeò Nostro non
defuit ut singularem & summam po-
tius prompta illa & temerata nunquam
in Imperatores invictissimos reveren-
tia, in coeteros Imperii Stattus exte-
rosqve Reges demerendi studium con-
F cilia.

ciliarent Eidem abundè & foeneraren-
tur. Atque exhinc est, quòd magnis
etiam pacis operibus, quorum & supra
mentionem ingessimus, simul fuerit
comprehensus. Ut omittam pondus illud
egregium, quod meritorum, quibus de-
vinxit per tantum regiminis spatium sub-
ditos, excellentia Eidem circumdedit.
Nam & quicquid ingrediebatur, seriò a-
gebat, & quantum afferret iudicii robur,
tantum & constantiæ afferebat, parum
existimans benè cæpisse, si non æquè per-
tendas, aut mutes turpiter animum. Fati-
gant me plures Principis justissimi Virtu-
tes, quas si omnes enarrare sustinerem,
timendum foret, ne me simul & vox,
& vester, Auditores, favor auscultandi
mihi altissimas juxta ac elimatissimas vir-
tutes ulterius exili dicendi modo teme-
raturò fortè, unà destituant. Com-
pendii igitur facienda oratio & ad finem
deproperandum est. Interim felicitatis
reliquæ tamen, quæ circumfluxit
Principem, munera defugere haud fas est.
At

At quamvis dicendo æquare eadem non
valeam infelix, exuberanti tamen affe-
ctui faciam satis. Et verò quis dubitet
unquam, Principem nostrum fortuna-
torem omni ex parte fuisse æstimatum,
quò charior ipse amiciorque DEO ha-
bebatur? Nihil differam de generis vel
antiquitate, vel incorruptâ nobilitate,
quam cum aliis Principibus habuit com-
munem, nihil de inusitatis naturæ doti-
bus: at illud quantum est, quod per to-
tum vitæ spatium sane & valido corpo-
re fuerit? Nunquam dejecto medicinæ
adhibendæ, quibus valetudinem alleva-
ret, vel utcunqve tueretur. Et quam-
vis vota Nostri non ambierint opes,
non affectaverint finium dilatationes, re-
gnorumq; culmina, quæ omnia tranqvil-
li in Nostro animi sibiq; sufficientis indi-
cia sunt; tamen hic indulgentissimè Ei-
dē favit fortuna. Nam, ut reliqua præter-
eam, Barbyensis Comitatus Walthernien-
burgi feudum in ipsum collatum, & Baro-
natus Jeverensis testamento MARIÆ,
in Jever, Rüstingen / Ostringen & Wangerland /

Dominae, ad Comites Oldenburgicos,
& ab his per ANTHONIUM
GÜNTHERUM, p. m. qui instar filii
JOHANNEM dilexit ubiq; delatus ad
Ipsam, haud vulgaria opum & regionum
incrementa fecit. Quæ omnia tamen,
quantacunq; etiam, transcendunt, quæ
ex tot charissimis pignoribus, quam feli-
citatem & supra interserere occupavi-
mus, provenere deliciae; quorum quam-
vis plurima præmaturè deceserint ite-
rum, nihil tamen indè turbata JOHAN-
NIS fortissimi constantia, qui probè pen-
sitavit secum, gigni liberos, si DEUS an-
nuat, posse, servari eosdem, si DEUS non
annuat, haud posse. In altero gratulari
fas esse, acquiescere in altero oportere. Et
facile vincuntur tristitia, si meliora succes-
serint. Quid enim CAROLI WIL-
HELMI summa indoles, ANTHO-
NII GÜNTHERI, JOHANNIS
ADOLPHI & JOHANNIS LUDO-
VICI ingenia longè excellentissima, ra-
ræq; SOPHIÆ AUGUSTÆ blan-
ditia, quos sospitet in posterum DEUS
beni.

benignè! non polliceri poterant? Et quid jam non præstitere? Quâ animi veneratione, quàm religiosè & sanctè venerabantur Parentem? Quàm luculenta quotidie tenerrimi edebant amoris documenta? Quàm blandissimè usquequaq; excipiebant suum Genitorem? Videntur adhuc mihi ipsi inter amplexus suavissimos Parentis deliciari, cui expressisse gaudii impetum sæpiùs lachrymas ecquid mirum esse poterit? Nam & læta suas lachrymas habent, cum vehementius incumbunt, & ardens affectu animus sibiq; cedens in oculorum hos imbres veluti liqvescit. Quanta jam hæc rerum felicitas? Non copiæ militum, non divitiæ & his similia alia admirandos tantùm ac magnos Principes faciunt; liberi etiam præstant, tutissimaq; autoritas Principis est, herede suo ferocientis. Neque enim spernitur facilè, qui successorem sibi, qui vindicem ostentare habet. Quò nomine aliàs Alexander, non minus cœtera militibus, quàm hosti tremendus, & Galba quoq; à suis unicè contemneban-

tur. Qui verò sobole beantur regnantes,
non moriuntur unquam, sed in liberis suis,
sed in posteris, exempla majorum refe-
rentibus, vivunt perpetuò. Quòd si meo
mihi voto vivere liceret, mallet, quæ re-
stant, relinquere exequenda aliis, adeò &
verba & ipse propemodùm spiritus fugi-
unt dicentem. Ex morbo papularum,
quas vocant, graviter incumbentium ex-
ierant modò servati cum amantissimâ
Conjuge Filii Principes, cùm Pater in læti-
tiam effusus ipse proh dolor malè habere
coepit. Sed confusus tamen, quas exper-
tus ubiq; erat, egregiæ nature viribus, nec
in gravefcens sibi malum ominatus, obi-
ter de eo saltem querebatur. Ratus delica-
tolorum esse, ad quodvis & fortean mox
iterum migraturum malum decumbere
& agere clinicum. Ad alterum mane do-
lores stomachi, dorfi & capitis ingruere,
gravissimo concutiente simul corpus vo-
mendi impetu. Haud mora, accitus Medi-
cus venerat, & pustulas elatas suspicatus,
naturæ conatum malignam materiam e-
jicere annitentis adjuturus, ad levandum
sto-

stomachum medicinas attemperavit. Se-
cant enim non rarò Medici, ut saluti sint,
& cum læsis se putaveris, maximè profunt.
Ex eò igitur & melior factus Noster, ci-
bum capturus mensæ accubuit; sed fasti-
diente eum stomacho mox iterū lectum
repetiit. Tum verò æstu noviter superve-
niente incrementum subindè cepit ma-
lum. In hocce articulo deprehensus Opti-
mus Princeps, quò se verteret? undè auxi-
lium peteret sibi, nisi à DEO, qui pristinae
valetudini, si ita videretur ejus clementiæ,
reddere ipsum, vel animam in æternam
quietem recipere posset? Illum igitur ar-
dentibus suspiriis gemitibusque orabat,
illum sibi placabat, illi omnem suum
committebat statum. Provisurum ipsum
in omnia, & quicquid dispenset, directu-
rum in bonum non tam sperabat, quàm
confidebat certissimè. O invictum ani-
mum! ô piensimum Principem! qui de-
sideria sua obluetari voluntati Numinis
haudquaquam patitur, qui cogitationes
omnes, omniaque vota in eo unicè col-
locat. Jam, quod per omnem vitam

F iij

in

in mente conceperat & circumtulera-
t undiq; , promebat symbolum : Dieu ma
confiance ! omnem spem in divino sum-
mâ fiduciâ ponens Numine. Inter hæc
advolabat reverendus plurimum Theo-
logus aulicus , qvi, multa de voluntate
DEI, saluberrimis CHRISTI meritis,
& alterâ illâ , quæ nos à funere excipit,
vitâ, aliisq; divinis rebus sæpè locutus No-
stro, Ipsum mirificè erexit, nec unquam
suo defuit officio. Videbatur altero die
remittere malum, dum papulæ in summâ
cute extuberabant ; sed in seqventi luce
iis iterum absconditis conversa omnia
fuérunt in pejus, & Ipse ad quietem se
compositurus subitò defectus animo, o-
mnibus inopinantibus leniter acquievit.
O exitum beatissimum ! ô mortē felicissi-
mam ! non sentiens mortem moritur, nec
expertus mortis terricula discedit ! Ob-
dormire hoc suavissimè, non mori est,
quiescere, non solvi vitâ ! Non facile cui-
quam talis obitus contingit, DEI benefi-
cium est, qvi celerius subtrahit, qvos amat
impensius. O suavissimam velocitatem,

quæ

quæ detrahit, quod in morte dirisimum,
metum mortis! quæ vertit mortem in vi-
tam beatissimam, quæ tolli amplius & in-
terfici non potest. Illuc, illuc transiit No-
ster, transiit ad CHRISTUM, qui in-
vocanti fuit prætor qui dux ipse ac via af-
fertorq; ac vindex fidelem suum ad sedes
cælestes & inaccessas regiones perduxit!
Ubi exultat sanctus in gloriâ, gaudet, læta-
tur, delectatur, fruitur felicitate consum-
matisimâ! Vivit cum CHRISTO,
vivit de CHRISTO, est cum CHRI-
STO, est in CHRISTO, qui est Ipsi o-
mnia in omnibus! Obtinet jam summum
bonum post mortem etiam verè bea-
tus! O jucundissimam mansionem, cui
quamvis semper præsens, nunquam fa-
tiatur, & quamvis semper fatietur, nun-
quam fastidit! Adeò fames & fastidium
ibi exulant! Sed cur discedis à Tuis, Ma-
xime Principum? Quò nullus pietate ar-
dentior, justitiâ sanctior nullus, nullus
Cæsari magis fidus, nullus Regibus Prin-
cipibusq; omnibus charior, nullus confi-
lio promptior, nec factis illustrior ullus un-
quam



quam floruit! Heu! quam celeres bono-
rum Principum dies! Tantamne malo-
rum molem incurrere, ut in TE uno
Conjugem amantissimum Uxor, Paren-
tem Filii, subditi optimum Principem,
Musæ Patronum, Statorem vindicemq;
intemeratæ religionis omnes amitterent
atqve componerent! Respice tuorum
ora humecta lachrymis, respice dejectos
in terram vultus, omnes æternum lugen-
tes respice! O coelum! ó terra! quid in so-
latium dabitur moestis? unde præsidium
parabitur tantæ calamitati? Ergone ideo
animum despondere? ergone torpescere
desperatione? Absit hoc! per DEUM
immortalem absit! Benè habet; tempe-
ramentum ad manum est. Id enim po-
tius restat, ut non invideamus Optimo
Principi ineffabile, quo perfunditur, gau-
dium, & partitis pietatis officiis hinc san-
ctè veneremur, quod flevimus hactenus;
hinc verò Filiorum maximorum seqva-
mur auspicia. Illa summa & maxima pie-
tas est, quam mortuo præstare possunt
superstites; ac utinam mihi in hâc juve-
nili

nili ætate tantum ingenii suppeteret, exi-
mii aliquid ad conservandam Paternæ
memoriam gloriæ conferre ut possem ;
quò, corpore amplius qui vivere nequit,
in literis libellisq; superet. Sed isthoc
voti magis est, quàm copix nostræ. O-
ptare quidem in prono apertoq; omni-
bus est; præstare nobiliter hi tantum pos-
sunt, qui ingenio vigent. Quamquam
& pius existimari soleat, qui, quantum
potuit, præstitit. Tum verò JOHAN-
NEM subinde in Filiis extollere annite-
rer. Non omnis enim Noster obiit, fa-
mâ, gloriâ, & liberis spirat perpetuò! Vos,
Vos, Filii Principes, eritis levamento, Vos
tantam sarcire cladem potestis! Redditis
jam Parentis exempla, imitami jam di-
cta factaq; ut, si ponamus rectè calculum,
pro uno, quatuor JOHANNES olim
sperandi sint! Vos Matri mæstissimæ miti-
gabitis luctum; in Vobis subditi, in Vobis
totus Christianus orbis recipiendum si-
bi promittunt, quod in Patre amisere &
nunclugent ereptum. Vivat ergò CA-
ROLUS WILHELMUS! Vivat
AN-

ANTHONIUS GÜNTHE-
RUS! Vivat JOHANNES
ADOLPHUS! Vivat JOHAN-
NES LUDOVICUS! Prin-
cipes Juventutis! Vivant, vigeant, flo-
reant! Vivant & summi Parentis Ma-
jorumq;, quorum nomina tenent, virtu-
tes ac felicitates longè excedant & pleni
ævi demùm Parentem sequantur! Vi-
vat & Celsissima Vidua SOPHIA
AUGUSTA &, cui nunc præest, tu-
telæ munus, felicissimè tueatur! Ita qui-
cunq; ex Parentis obitu dejecti ad terram
familiariter dolent, Conjugis illustrissi-
mæ administratione & successionis filio-
rum omine refoti, tantam jactu-
ram facilius fe-
rent!

FINIS.



XG 453

40

ULB Halle 3
003 905 993



SA

VD 17


Me. C.





PANEGYRICUS
FUNEBRIS

JOHANNI,
ANHAARUM
PRINCIPI
DOMINO S
JEV
HERO
WIT
IN
JOHANN
von Loß/
R G Æ
CIS
ARABILI
SCANIÆ,
RENBURGI,
SII,
DRUM



In Officinâ FINCELIANA excudebat MICHAEL MEYER: